

eo statu, & jure prout nunc est, & pleno jure dictus Dominus emptor, ac illius hæredes, & successores habeant omnia jura spectantia dictæ Communitati, & quascumque pœnas, & res, ac bona, quæ continget cadere in commissum in casu fraudati daciti prædicti, & teneat locum, & statum Communitatis prædictæ in ipso dacito pro ipsa dimidia ut supra vendita, & facere possit ea omnia, quæ dicta Civitas ante præsentem venditionem poterat facere circa dimidiam dicti daciti quantum sit respectu dictæ exactionis, & consecutionis ejus emolumentorum, & pœnarum, ac rerum, quæ cadunt in commissum, & aliorum dependentium ab ipso dacito pro dicta dimidia. Item convenerunt partes ipsæ, quod una de duabus clavibus arcæ, in qua reponuntur dicta grana prædictæ cozzæ, remaneat, & sit penes ipsum Dominum emptorem, ac hæredes, & successores illius, aut fideles, qui pro tempore erunt nomine dicti Domini emptoris, & successorum illius, ita quod ipsa arca non possit aperiri, nec grana cozzæ prædictæ dividi, nisi cum interventu, & præsentia dicti Domini Galeoti, seu successorum ejus, vel fideiuramentum, & deputandorum ad dictam divisionem per eum, vel successores.

Item convenerunt per pactum expressum ut supra tam in principio, quam in medio, & fine præsentis contractus, quod Communitas, & Universitas dictæ Civitatis, & seu Agentes pro ea possint, & valeant semper, & quodcumque eis videbitur, & placuerit non obstante aliqua præscriptione longi, seu longissimi temporis etiam centum annorum redimere, & recatare dictam dimidiam prædicti daciti, & gabellæ sic ut supra venditam mediante reali exbursatione, & traditione dicti pretii scutorum sexcentum Italiae, videlicet scutorum quingentum decemnovem Italiae auri, & in auro boni, & justii ponderis, & scutorum octoginta unius etiam Italiae in bona, & sufficienti moneta argentea, & in una vice tantum exbursandorum, & cum effectu, dummodo tamen recatationem, quam facere voluerint, notificent, & intimant verbo, & per instrumentum publicum ipsi Domino Galeotto, seu hæredibus, & successoribus illius per menses tres antequam velint ad exbursationem dicti pretii, & recatationem prædictam devenire, nec possint aliter probare intimationem prædictam nisi per instrumentum ut supra, & quod nisi in fine dictorum mensium trium fiat numeratio dicti pretii ipsi Domino Galeotto, seu successoribus illius in civitate Casalis, & non alibi, nisi aliter ipsæ partes convenerint, vel reali deposito pecuniæ in eadem civitate cum illius intimatione debita in contumaciam ipsius Domini Galeoti, seu hæredum, & successorum illius recusantium recipere, vel in defectum personæ, quæ legitime non possit dictas pecunias recipere, quod tunc dicta denunciatio, & intimatio remaneat frustrata, & perinde sit, ac si facta non fuisset, sed aliam facere teneantur, & per instrumentum ut supra agentes pro dicta civitate cum dilatione dictorum mensium trium, ita tamen quod dictus Dominus emptor, ac sui hæredes, & successores, & quibus dederit, perseverare habeant post dictam denunciationem ante receptionem pretii ut supra in per-

ceptione fructuum, & emolumentorum dictæ gabellæ, & daciti pro dimidia ut supra omni contradictione remota.

Item per pactum expressum convenerunt legitimis stipulationibus hinc inde intervenientibus, videlicet quod prædictus Dominus emptor, & sui hæredes, & successores non possint, nec valeant pendente dicta recatatione ut supra daciti, & gabellæ præmissæ aliquem contractum, nec distractum de dicto dacito facere per se, nec per aliam personam in præjudicium pacti de recatando superscripti, & in casu, quo contra fiat præsentis promissioni, & pacto dictus Dominus emptor ex nunc pro tunc expresse declaravit, & declarat prædictum contractum fore, & esse nullum sub obligatione bonorum ejus præsentium, & futurorum.

Quam quidem venditionem ecc. renunciantes ecc. jurantes ecc.

Quibus omnibus sic ut præmittitur rite, recteque gestis ad majorem corroborationem præsentis contractus superscriptus spectabilis Dominus Philippus de Tardonensibus Prætor, & Judex dictæ civitatis sedens super quadam cathedra lignea, quam elegit pro suo idoneo tribunali quoad hunc actum suam, & communis civitatis prædictæ interposuit auctoritatem, partem, & decretum. Et inde de prædictis omnibus prædictus D. Judex præcepit ecc. prædicti vero contrahentes rogaverunt per me Notarium infrascriptum fieri publicum instrumentum etiam ad laudem, & dictamen sapientis extendendum si opus erit.

Ego Bernardinus Malvestius civis, & causidicus Casalis publicus Imperiali auctoritate Notarius, & matricolatus in collegio D. D. Notariorum civitatis prædictæ superscriptum instrumentum.

*Transactio inter civitatem Aquensem, & Communitatem Bistagni.*

M D L X I I.

402

In nomine Domini amen. Anno Nativ. ejusdem MDLXII., indict. V., die vero VIII. mensis martii, actum in loco Ponzoni, & in castro ejusdem loci, videlicet in ejus sala præsentibus D. Joanne Jacobo Ivaldo, & D. Jo. Baptista Proto amobus de dicto loco Ponzoni testibus notis, & idoneis, & ad infrascripta omnia, & singula vocatis, specialiter, & rogatis. In quorum, & mei Notarii publici infrascripti præsentia, quum ita fuerit, & sit, quod verterentur lites, & quæstiones coram Rev., & Ill. Senatu Montisferrati inter magnificos D. Agentes pro communitate civitatis Aquarum, & Agentes pro communitate Bistagni causa, & occasione contributionum ipsi communitati Aquensi per communitatem Bistagni debitarum pro societatibus Illustri D. D. Alonfi Pimantelli Hispani, quas dicta communitas Aquensis hospitata est, & dicta Bistagni communitas assignata fuit ad dictæ communitati Aquensi contribuendum pro dictis societatibus, & prout latius in actis coram præfato illustri Senatu agitatis continetur, ad quæ approbativa relatio habeatur; quumque fuerit, quod per præfatum illustrem Senatam in causa prædicta, lato